

Les sources manuscrites de la théorie de la musique
(S. IX-XVI)

München, Bayerische Staatsbibliothek (*D-Mbs*)

Clm 8951, f. 124v-125r

Transcription : Christian Meyer
(décembre 2003 – rév. oct. 2017)

<I>

124v

¹Nota mutatio est divisio unius vocis in alteram in eodem signo, unde sequitur quod ubicumque fit mutatio oportet quod ad minus ibi sint due voces unite, quia dicit Boecius quod ex una sola voce mutatio fieri nequit, etc. Nota versus manus.

²Gamaut, ·A·re, ·h·mi pollex retinebit,

³Index, radicem mediusque ·d·solre.

⁴Sic ·E·lami auriculari, sic ·F·faut auricularis.

⁵In cuius medio ·G·solreut esse memento

⁶Inde suo more collum tegit hinc ·a·lamire.

⁷Et caput ornari solet eius per ·b·fa·h·mi.

⁸In summo nodo incipit ·c·solfaut apto.

⁹Et ·d·lasolre caput medii (?) est quoque longi.

¹⁰Index inde vadat ·ee·lami pro vertice portat.

¹¹·f·faut huic digito reddit atque ·gg·solreut apte.

¹²Hinc ·a·lamire gerit medius medicus ·bb·fa·be·mi.

¹³Et ·ccsolfa tenet medio ·dd·lasol quoque complet.

<II>

[¹⁴Claves de spacio cuilibet mansere latendo.]

¹⁵Ulterius est notandum quod 12 sunt modi quibus omnis cantus contexitur sive gubernatur, scilicet unisonus, semitonium, etc.

¹⁶Unisonus sit ubi due voces vel plures in una linea vel in uno spacio continentur et dicitur ab uno <et> sonus, quasi unum sonum habens.

¹⁷Semitonium est saltus de *fa* in *mi* et econverso, et dicitur a *semis* quod est dimidium et *tonus*, non quod dimidius sonus, sed quia minus quam totus.

¹⁸Tonus est saltus qui fit de voce in vocem sibi proximam sicut de *ut* in *re*, de *re* in *mi*, de *mi* in *fa*, de *fa* in *sol*, et econverso et dicitur a *tono*, *-as*, *-are*, quasi perfectum tonum habens.

¹⁹Semiditonus est saltus qui fit <ad tertiam> ex <tono et> altero medio tono ut de *re* in *fa*, de *mi* in *sol*, et econverso, et constat tantum ex tribus vocibus et <dicitur> a *semis* quod est dimidium, et *dya* quod est de, et *tonus* quasi <tonus> alterum dimidium tonum habens.

²⁰Dytonus est saltus qui fit ad tertiam, ex duobus tonis, scilicet de *la* in *fa*, de *mi* in *ut*, et econverso. Et dicitur a *dya* quod est duo, et *tonus*, quasi duos tonus habens.

²¹Dyatesseron est saltus ad quatuor, constans ex quatuor vocibus, scilicet ex duobus perfectis tonis et ex uno simplici semitonio, et fit de *la* in *mi* et de *sol* in *re*, et de *fa* in *ut*, et econverso, et dicitur a *dya* quod est de, et *tetra* quod est quatuor, et *seron* quod est vox, quasi ex quatuor vocibus constans.

²²Dyapente est saltus ad quintam ex quinque vocibus constans et ex tribus semitonis et ex uno simplici semitonio. Et fit de *mi* simplici b durali in *mi* naturalem, et de *la* in *re*, et de *sol* in *ut* et econverso. Et dicitur a *dya* quod est de, et *pentha* quod est quinque, quasi ex quinque vocibus constans.

²³Semitonium cum dyapente est saltus ad sextam ex sex vocibus constans scilicet tribus tonis perfectis et duobus semitoniis et <fit> de *fa* naturali in *mi* b mollem, et de *fa* b durali in *mi* naturalem et oportet quod inter illas duas voces *fa* et *mi* tres perfecti toni collocentur.

²⁴Tonus cum dyapente est saltus constans ex sex vocibus et quatuor tonis perfectis et uno simplici semitonio, ita quod illud

semitonium sit locatum in medio quatuor perfectorum tonorum et fit de *la* in *ut* et e converso.

²⁵Semi<di>tonus cum dyapente est saltus constans ex septem vocibus et quatuor perfectis tonis et duobus semitoniis et de *sol* b durali in *mi* naturalem, et de *fa* naturali in *re* b mollem, et de *fa* b durali in *re* naturalem et e converso.

²⁶Dytonus cum dyapente est saltus constans ex septem vocibus et ex quinque perfectis tonis et ex uno simplici semitonio et fit de *la* b durali in *fa* naturale, et de *mi* durali in *ut* naturalem, et de *fa* b molli in *mi* b duralem et e converso.

²⁷Dyapason est saltus constans ex 4 vocibus, scilicet ex quinque perfectis tonis et ex duobus semitoniis et fit inter equa consonantia sonorum, scilicet de ·c· acuto in ·C· gravem et e converso, et sic de singulis clavibus. Et dicitur a *dya* quod est de, et *pan* quod est totum, et *sonus*, quasi omnes sonos sive modos sub se continens.

²⁸Exemplum habetur prescriptum, videlicet "Ter terni sunt" etc.

<III>

²⁹Musica est motus vocum rationabilium in arsim vel thesim in elevationem vel depressionem, vel aliter : Musica est scientia veraciter canendi [per scientiam] et facilis via cantandi per scientiam. Et dicitur a *moys* grece, quod est aqua latine, et *ycos* scientia, quia inventa est iuxta aqua<s>.

³⁰Nota quod septem sunt littere in quibus tota musica comprehenditur, scilicet a, b, c, d, e, f, g, que quidem littere totam musicam transcurrunt. Et litterarum quedam sunt graves, que acute, que subacute seu duplicate. ³¹Numeramus igitur ab ·A·re <dicendo> a, b, c, d, e, f, g. Hee dicuntur graves, quia graviori sono procedunt. Incipiendo ab ·a·lamire, numerando usque ad finem dicuntur <...> superacute seu duplicate eo quod sonus per ea duplicatur in proferendo.

³²Eliguntur autem quatuor ex istis in quibus omnis cantus sive modulacio in gravibus finitur, scilicet ·D·, ·E·, ·F·, ·G·. Istarum

quelibet duobus tonis attribuitur. Nam ·D· attribuitur primo et secundo, ·C· tertio et quarto, ·F· quinto et sexto, ·G· septimo et octavo.

Versus.

^{33a} Primus et alter ·D· tenet, ·E· tercius quoque quartus,

^{33b} ·F· quintus sextus, ·G· septimus et octavus.

<125r> ³⁴ Dividuntur ergo isti toni. Tonorum alius autentus alius plagabilis. Autentorum quatuor sunt primus, tertius, quintus et septimus. Similiter tonorum plagalium quatuor sunt, scilicet secundus, quartus, sextus et octavus.

³⁵ Cognitio primi autenti quia natura eius habet ascensum a suo finali usque ad dyapason, datur tamen licentia usque ad ·f·faute acutum et non ultra. Pro quo est sciendum quod versus responsoriorum maiorum incipiuntur in duobus locis, scilicet in ·D· gravi et in ·a· acuto, et finiuntur in ·F· gravi. Item nota quod versus maiorum responsoriorum non secuntur regulam aliarum cantionum, que habent per se naturam.

³⁶ Et cognitio secundi toni plagabilis naturaliter ascendit ad ·a· acutum ad suum dyapente et licentia sibi datur attingere ·c· acutum, et non ultra propter primum tonum, sed habet descensum ad ·A· gravem et in necessitate ad ·G· grecum.

³⁷ Item notitia tercii autenti est quod naturaliter in ·E· gravi finitur sicut dictum est, et ascendit ad ·g· acutum licenter tamen, [as]descendit ad ·C· gravem vel in ·B· quadrum grave.

³⁸ Quartus autem tonus plagalis ad ·b· durum acutum quod *mi* (?) quadrum dicitur, et descendit ad ·b· quadrum, in necessitate ad ·A· gravem. Versus autem responsoriorum illius toni incipiuntur in ·a· acuto et finiuntur in ·D· gravi. Quintus autentus et sextus plagalis una terminacione finiuntur in ·F· gravi ut est prearratum.

³⁹ Quintus autem ascendit usque ad ·f· acutum et de licentia attingit ·aa· superacutum et descendit ad ·D· gravem licentia, tamen pertingit ab ·B· grave.

⁴⁰ Sextus vero plagalis <...> descendit usque ad ·C· grave.

⁴¹Septimus et octavus uno loco finiuntur, scilicet in ·G· gravi. Septimus autem autentus ascendit ad ·g· acutum et descendit ad ·D· gravem. Octavus vero plagalis ascendit ad ·c· acutum et descendit ad ·C· gravem.

⁴²Item nota quod musicus omnes cantilenas et voces per litteras plenarie demonstrat. Et per ordinem ita ponit :

·G· grecum est prima vox, ·a· 2^a, ·b· 3^a, ·c· 4^a, ·d· 5^a, ·e· (b ms) 6^a, ·f· 7^a, ·g· 8^a, ·a· 9^a, ·b· rotundum 10^a, ·h· quadratum 11^a, ·c· 12^a, ·d· 13^a, ·e· 14^a, ·f· 15^a, ·g· 16^a, ·a· 18^a, ·b· 19^a, ·c· 20^a, ·d· 21^a.

⁴³Postea videmus quod quilibet littera in musica concordantia invenitur. ⁴⁴Dico (?) g ter ponitur : primo ·G· grecum, secundum ·G· in gravibus, tertium ·g· in acutis.

⁴⁵Similiter ·A· grave, ·a· acutum, ·a· duplicatum. ⁴⁶Similiter c ter ponitur in concordantia : ·C· grave, ·c· acutum, ·c· duplicatum.

⁴⁷Ita d ter ponitur : ·D· grave, ·d· acutum, ·d· duplicatum. ⁴⁸<...>

Nam erit ·E· grave, ·e· acutum. ⁴⁹Similiter ·F· grave, ·f· acutum,

⁵⁰eodem modo ·b· rotundum, ·b· duplicatum, sic tantum duplicantur

Versus.

^{51a}Sunt quine terne sed sunt terne nisi bine

^{51b}·G· ·a· ·b· ·c· ·d· triplicate, sed ·e· ·f· ·g· sunt duplicate.

⁵²Concordetur ergo tali modo : recipiatur ·G· grecum, numerando ad <·D·> grave quod dicitur dyapente, numeratur igitur ultra ad ·g· secundum habetur statim triplex concordantia.

⁵³Quot autem erunt eaedem littere tot erunt dyapason, ut ggg aaa bbb, et ubi due, ibi bis dyapason, et sic de singulis etc.

⁵⁴Explicit. Hoc totum infunde da mihi pocum.

29-54 cf. ANON. Michaelb. I

3 index] indix *cod.*

4 auriculari] annucleari ? *cod.*

5 in-medio] intus ? gremio ? *cod.*

10 portat] pertat *cod.*

22 de la in re] de fa in re *cod.*

23 ad sextam] ex ad sex *cod.*

24 uno] uni *cod.*

25 ex] est *cod.*

26 et de mi durali] et de mi naturali *cod.* | et de fa b molli] et de fa naturali *cod.* |
in mi b duralem] in *fa* b mollem *cod.*